

sequatur, Payot, ipse quoque admirator Kantii, enuntiat (De la Croyance, 1895, p. 32): „La psychologie est venue rejoindre par la voie inductive la conception kantienne, elle explique tout du dedans, et la réalité ne peut plus être pour nous que la broderie formée par nos sensations auditives, visuelles, tactiles, etc. sur une trame de sensations musculaires de présence constante, nécessaire pour nous, trame qui forme le fond solide et résistant de la notion d'objectivité (p. 32) . . . Nous avons ainsi abouti à un scepticisme intellectuel irrémédiable, et rencontré, par une méthode purement psychologique, la conclusion de la Critique de la raison pure de Kant.“ (p. 247). Similiter *Louis Weber* (in opere suo novissimo: Vers le positivisme absolu par l'idéalisme 1903) negat omnem realitatem praeter phaenomena conscientiae. Quod idem multi apud nos, ut Phaenomenalistae: *M. Kaufmann, Schubert-Soldern, Schuppe*; porro ex schola Avenarii: *Willy, Wahle, Gomperz*. Cfr. Gutberlet, l. c. 3 et 53 sq.

Caput III: *Idae primitivae oriuntur ex sensatione per vim abstractivam mentis.*

Ostendimus, ideas primitivas non oriri ex causis nobis mere extrinsecis, ut sunt sensatio, testimonium hominum, intuitio Dei. Porro demonstravimus, eas neque ex causis nobis prorsus intrinsecis derivari posse, sive ex ideis innatis, sive ex propria mentis nostrae activitate. Quum autem causam efficientem habere debeant, patet, non superesse nisi ut orientur ex causis partim nobis extrinsecis, partim intrinsecis. Unde ostendendum est: 1^o fontem extrinsecum, ex quo ideae nostrae primitivae oriuntur, esse sensationem tanquam causam materialem idearum; 2^o causam autem eas formantem esse vim quandam mentis naturalem abstrahendi ab apparentiis sensibilibus et percipiendi rerum apparentium essentiam (causa efficiens idearum); 3^o quomodo sensatio in ideis formandis concurrat (relatio inter causam materialem et efficientem idearum).

§ 1. De initio cognitionis intellectualis per sensationes, sive de eius causa materiali.

*Thesis VI: Sensatio nobis necessaria est ad ideas primitivas formandas.*¹⁾

St. qu. 1^o Nondum definimus, quomodo sensatio necessaria sit ad ideas formandas, et a fortiore non cum sensistis affirmamus, eam esse unicum fontem idearum; sed statuimus, sensationem praebere intellectui materiam necessariam ad primas ideas formandas eumque aliquo modo excitare ad cognoscendum.

2^o Iam *Heraclitus* et *Eleates* testimonium sensuum negligebant, soli rationi veram cognitionem tribuentes; *Plato* sensus potius impe-

¹⁾ Cfr. S. Thomam apud Cosm. Alamannum, I, qu. 28, art. 2. Quaest. disp. de mente art. 6.

dimento esse intellectui putabat, cui *Neoplatonici* consentiunt. Neque satis tribuunt sensationi, qui, ut *Cartesius, Malebranche, Leibnitzius* et moderni *parallelistae* et *idealistae*, eam solum occasionem vel conditionem cognitionis intellectualis habent.

Prob. 1. Ex natura hominis: Ita natura nostra sapienter constituta est, ut ex parte sensitiva et intellectiva coalescat et pars sensitiva ordinata sit ad partem rationalem adjuvandam et perficiendam. *Atqui* si sensatio nihil conferret ad cognitionem intellectus, esset inutilis ad vitam hominis superiorem, immo potius esset maximo impedimento, animam intellectualem ab obiectis mere spiritualibus sibi propriis toties avocans ad phaenomena sensibilia et appetitui inferiori praebens obiecta sensibilia hominibus saepe obnoxia. Sensatio autem non potest intellectui exhibere obiecta ei proportionata, immaterialia, i. e. obiectum formale mentis. Neque sufficit, ut sit sola conditio sive occasio pro actu intelligendi; nam neque conditio neque occasio influunt in effectum ipsum producendum, neque actionem determinant sive specificant, sed ad summum faciunt; supponunt igitur tum obiectum, tum causam adaequatam actionis. *Ergo* sensatio debet saltem exhibere et afferre obiectum materiale sive materiam cognitionis intellectualis.

2. *Ex natura intellectus:* Intellectus noster a) ex se est indifferens et indiget determinatione, ut exeat in actum; b) ex se nullum habet obiectum cognitionis; secus enim semper actu intelligeret; c) ostendimus, eum neque habere ideas innatas, neque ex propria activitate obiectum producere posse. *Atqui* probavimus, intellectum a Deo neque immediate excitari ad cognoscendum, neque obiectum cognitionis recipere; neque verbis vel institutione humana eum excitari et doceri, nisi iam ideae praecesserint in mente. Neque intellectus immediate per se obiecta materialia percipere potest, quia est immaterialis ac proinde ab obiecto materiali determinari nequit, neque obiectum tale est ei proportionatum. *Ergo* non restat, nisi ut intellectus percipiat res materiales, quae sunt primum et proprium eius obiectum, per sensationes sive externas sive internas.

3. *Ex factis:* Constat a) obiectum primum, proprium et adaequatum intellectus non esse res pure spirituales, sed rationes immateriales, universales in rebus materialibus, individuis, ut infra dicemus; b) quando sensus deficit, etiam ideae obiectorum ad illum sensum spectantium deficiunt; laesa certa parte cerebri etiam quaedam ideae saepe retineri non possunt; phantasiâ perturbatâ etiam ideae mentis aliquo modo confunduntur, neque iam modo debito subsunt mentis reflexioni¹⁾; c) conceptus nostri et nomina rerum

¹⁾ Cfr. S. Thom. S. Theol. I, qu. 84, a. 7, c.

spiritualium sunt impropria, analogica, formata ex conceptibus et nominibus rerum materialium. d) Ideae non solum oriuntur ex sensatione, sed imago phantasiae, saltem verborum, cogitationem semper comitari debet. e) Quotiescunque alios, praesertim rudes et infantes, docere volumus, semper adhibemus exempla concreta et imagines ad veritates insensibiles explicandas et illustrandas, et experimur, eo clariorem rei ideam nos aliis infundere, quo aptiorem imaginem phantasiae excitamus; unde tam frequens figurarum usus apud praeceptores, oratores, poetas. Atqui haec facta explicari non possent, nisi sensationes intellectui materiam cognitionis praebere; alioquin intellectus, prorsus independens a sensibus, haberet conceptus proprios rerum spiritualium, neque indigeret sensibus, ut ideas illas acquireret, immo sensatio ei potius impedimento esset. Ergo sensatio necessaria est intellectui ad ideas primitivas formandas. —

Coroll. Iure igitur Aristoteles intellectum nostrum initio comparat tabulae rasae (γραμματεῖον ὃ μὴ δὲν . . . γεγραμμένον)¹⁾, et S. Thomas materiae primae prorsus indeterminatae, et expresse statuit cum Aristotele contra Platonem thesim: „Intellectiva cognitio fit a sensibili, non sicut a perfecta et totali causa, sed potius sicut a materia causae“; sive „principium cognitionis nostrae est a sensu“.²⁾

Scholion. Patres Ecclesiae et Scriptores antiqui, praesertim Eunomianos haereticos oppugnantes, in hac re plene consentiunt, cognitionem nostram intellectualem a sensibus incipere: Tertullianus, Origines, Athanasius, Basilus, Gregorius Nyss., Cyrillus Alexandrinus, Augustinus³⁾, iuxta illud Apostoli (Rom. 1, 20). „Invisibilia ipsius (Dei) a creatura mundi . . . intellecta conspiciuntur.“⁴⁾

Obi. 1. S. Augustinus docet, nos omnia videre „in incommutabili veritate et in rationibus aeternis“;⁵⁾ dist.: tanquam in obiecto cognito — nego; tanquam in principio (formali) cognitionis — conc.; sic respondet S. Thomas.⁶⁾

2. Atqui sensatio sive phantasma non potest in intellectum influere; dist.: directe — conc.; indirecte ut existens in eadem anima sensitiva simul et intellectiva — nego.

3. Atqui tunc intellectus deberet phantasma percipere; dist.: modo sensibili, i. e. ut phantasma — nego; intelligibile apparens in sensibili phantasmate — conc.

¹⁾ De anima 1.3, c. 4; cfr. Rolfes, Des Aristoteles Schrift über die Seele, 1901, p. 175. S. Theol. I, qu. 84, art. 3 et 7.

²⁾ S. Theol. I, qu. 84 a. 6. Immerito igitur Müller, System der Philos., comparans S. Thomae in hac re sententiam cum Rosmini doctrina, s. Doctorem dicit docuisse, non sensus percipere res existentes, sed intellectum, ideae entis sensibus applicata; cfr. Pastor bonus, 1898, p. 581 et 1899, p. 247.

³⁾ Cfr. Franzelin, De Deo uno, VII, 1.

⁴⁾ Quibus testimoniis innixa, S. Sedes sententias et ontologistarum et traditionalistarum iure reprobavit; cfr. Conc. Vatic. sess. III, cap. 2 et 4; decretum 1864 contra Ubaghs. ⁵⁾ Confess. XII, 25. ⁶⁾ S. Theol. I, 84, a. 5.

4. Atqui phantasma non exhibet intelligibile, sive rerum essentiam; dist.: per se — conc.; per accidens, i. e. per eius apparentias et manifestationem sensibilem — nego.

§ 2. De vi abstractiva intellectus, sive de causa efficiente idearum.

1. *Notio et divisio:* Abstractio in genere est cognitio unius sine alio cum ipso coniuncto. Duplex abstractio distingui potest: *sensitiva*, quae in eo est, ut singuli sensus suum obiectum formale in corporibus percipiant sine aliis qualitatibus, cum obiecto suo in re ipsa coniunctis; sic oculus percipit colorem sine sono, vel odore etc. De hac abstractione sensitiva hic non disputatur. Alia est *intellectiva*, per quam intellectus rationem aliquam obiectivam considerat, quin attendat ad alias rationes cum illa in re ipsa physice vel etiam metaphysice coniunctas. Et haec iterum potest esse: a) *directa* (naturalis, spontanea), qua intellectus conceptus primitivos immediate ex experientia efformat, percipiendo rerum universales rationes sine earum individualitate, e. g. conceptus hominis, quem oculis video; b) *reflexa*, quae ex ideis iam formatis alias deducit simpliciores ope reflexionis ontologicae vel logicae, quae vocantur factitiae. — Nobis non est disserendum nisi de abstractione directa.¹⁾

2. *Modus abstractionis directae:* Abstractio igitur directa versatur circa sensationes sive phantasmata, quae obiectis materialibus in sensibus nostris externis et internis excitantur. Haec autem abstractio triplex esse potest: *physica*, quae proprietates rerum physicas modo universali considerat i. e. abstrahit ab earum subiecto materiali et individuali; *mathematica*, quae solam rerum extensionem sub una, duplici, vel trina dimensione respicit, abstrahens a materia subiecta, a sensibilibus propriis et a rerum individualitate; *metaphysica*, quae abstrahens ab obiectis sensibilibus tum propriis tum communibus plus vel minus perfecte solum rerum naturam percipit (cfr. p. 14 dialecticae).

Neque vero haec abstractio directa ita intelligenda est, quasi mens percipiat ipsa phantasmata, quod impossibile est, quum non sit facultas organica, neque imagines materiales intellectum immaterialem *per se* determinare possint. Sed, praesente phantasmate, intellectus per vim suam abstractivam immediate essentiam rerum sensibus apparentium apprehendit sub ratione universali, praescindens tum a qualitatibus sensibilibus, tum a rei individuatione; hanc enim directe et in se non percipit; secus enim haberemus cognitionem

¹⁾ Cfr. de hac quaestione, quae Kleutgen clare exponit contra Hermes et Günther, Philos. d. Vorzeit, I, 4. Hauptstück.

sive intuitionem essentiae singularis qua talis, et possemus diiudicare, in quo praecise essentia Petri individua a Paulo differat. Unde abstractio illa non est positiva, sed potius negativa, in quantum mens abstrahens *intrinsecam* individuationem non cognoscit, quemadmodum etiam sensus eas, a quibus abstrahunt, sensibiles qualitates non prius percipiunt. Differt igitur abstractio directa a reflexa: a) *ratione obiecti materialis*, quod in abstractione directa est obiectum sensatione praesentatum; abstractionis reflexae autem obiectum sunt ideae compositae iam acquisitae; b) *ratione obiecti formalis*, quod in abstractione directa est essentia rerum specifica sive rationes universales proximae; abstractionis autem reflexae obiectum sunt rationes rerum genericae et magis universales; c) *ratione modi*; nam abstractio directa est *negativa*, in quantum eas, a quibus abstrahit, notas individuantes non directe cognoscit; abstractio autem reflexa est potius *positiva*, quia notas, a quibus abstrahit, prius cognoscit, quam separat.

3. *De intellectu agente et possibili*: Scholastici duce Aristotele¹⁾ abstractionem intellectus directam duplici potentiae tribuebant: *intellectui agenti* (*νοῦς ποιητικός*) et *possibili* (*νοῦς δυναμικός*). Intellectum agentem docebant *illuminare* phantasmata, sicut lux solis colores in corpore existentes manifestat, et *abstrahere* a phantasia *speciem intelligibilem*²⁾, quam imprimit intellectui possibili, et in eius „tabula rasa“ quodam modo imaginem rei intelligibilem describit. Intellectus autem possibilis modo passivo se habet recipiendo speciem illam *impressam*, qua recepta ipse fit quodammodo species rei *expressa* intentionalis. Unde intellectus possibilis, ut notat Aristoteles, intelligendo quodam modo fit omnia.³⁾ In ipso ratio *formalis* cognitionis invenitur; in intellectu agente autem ratio *efficiens*. Differt autem abstractio intellectus agentis ab abstractione sensuum, quia intellectus agens est potentia prorsus activa, quae propria determinatione et sua luce propria obiectum suum, i. e. speciem efformat ex materia praesente phantasmatis et tanquam artifex hanc materiam format modo intelligibili; sensus autem sunt potentiae passivae, quae recipiunt species ab agentibus extrinsecis.⁴⁾ Non igitur requiritur determinatio intellectus agentis ex parte phantasmatis, sed sola eius sufficit praesentia, ut intellectus agens ex se operetur. Intellectus autem possibilis, recipiens in se speciem ab intellectu agente formatam, non eam directe apprehendit tanquam obiectum immediatum, ut volunt Idealistae, sed rem per speciem expressam. (S. Thom. „intentio intellecta“).⁵⁾

4. *Quae distinctio?* Aristoteles et scholastici plerique eum sequentes intellectum agentem a possibili realiter distinctum esse existimabant, quia obiectum formale utriusque esset distinctum. Intellectus enim agentis est

¹⁾ De anima, lib. III, c. 5; cfr. Kleutgen, l. c. I, 71.

²⁾ Cfr. S. Thom., S. Theol. I, qu. 85, a, 1; c. gent. II, 60 et 77.

³⁾ De anima l. III, cap. 4 et 8: Ἡ ψυχὴ τὰ ὄντα πῶς ἐστὶ πάντα.

⁴⁾ S. Thom. S. Theol. I, qu. 79, a. 3; de Verit. q. 16, a. 1, ad 13; c. gent. II, 77 et 78. ⁵⁾ Cfr. thes. I et II, p. 96 sq.; S. Thom. c. gent. I, 53.

speciem intelligibilem efficere; possibilis autem, eam recipere et exprimere. Quam Aristotelis sententiam peripatetici Arabes exaggerantes, cum *Avicenna* (Ibn Sina † 1037 in urbe Ispahan) intellectum agentem separantes a singulis hominibus, communem pro omnibus hominibus statuebant, tanquam spiritum ultimo loco a Deo per successionem emanatum; vel cum Hispano *Averroes* (Ibn Roschd † 1198, „Commentatore Aristotelis“) intellectum et agentem et possibilem omnibus communem esse docebant, qui ex phantasmatis („intellectus passivus“) singulorum hominum species abstraheret eosque ita faceret intelligentes.¹⁾ — Sufficit nobis affirmare, esse in homine intellectum et agentem et possibilem, i. e. vim mentis abstractivam, quin tamen eorum realem distinctionem *adaequatam* adstruamus. Certe adest virtualis distinctio, quia conceptus utriusque intellectus est diversus, et adest ratio distinctionis obiectiva in diverso illo modo, quo utraque operatio intellectus idem obiectum attingit. Sed quum utraque illa actio: formatio speciei intelligibilis eiusque receptio, ad eundem effectum adaequatam conspiret, neque una sine altera esse possit, nobis cum s. Bonaventura, Toletio, Suarezio multisque recentioribus realis distinctio non videtur certo statuenda, sed sufficit vel virtualis vel etiam realis inadaequata, sicut pars a toto reali distinguitur, quia actus intellectus possibilis operationem agentis iam in se comprehendit tanquam partem eiusdem actus perfecti, ita ut intellectus agens sit intellectus intelligens in *feri*, intellectus autem possibilis intellectus intelligens in *facto* esse. Quemadmodum igitur inter intellectum agentem et possibilem distinctio sufficit virtualis sive realis inadaequata, ita etiam inter speciem intelligibilem *impressam*, quae est effectus intellectus agentis, et speciem *expressam*, quae est effectus *formalis* intellectus possibilis, distinctio eadem statuenda esse videtur.²⁾

Thesis VII: Admittenda est vis intellectus abstractiva.

St. qu. 1^o In thesi non agitur, nisi de vi abstractiva intellectus directa (primitiva, naturali, spontanea), qua obiectum proprium intellectus ex sensatione haurimus. Nam fere omnes concedunt, in nobis esse vim mentis *reflexe* abstractivam, quae tamen supponit directam.

2^o Confutamus adversarios: a) qui nimium deprimentes vim intellectus, vel cum sensistis negant vim eius sive directe (Locke) sive etiam reflexe (Condillac) abstractivam, vel cum traditionalistis et ontologistis nos et formam et obiectum idearum a causa extrinseca recipere docent; b) porro eos, qui nimium exaggerantes vim mentis, ut defensores idearum innatarum et idealistae, et formam et obiectum idearum in nobis latere vel ex nobis produci putant. Mediam igitur viam ingredientes, statuimus, *obiectum* idearum non esse ex nobis, sed ex sensatione *primo* hauriri; *formam* vero idearum esse

¹⁾ Cfr. S. Thom. c. gent. II, 73—78. De Wulf, Histoire de la philosophie médiévale, 1905, p. 407 sq.

²⁾ Cfr. Boedder, psychol. p. 118 sq.; in altera tamen editione (p. 153) statuit realem distinctionem adaequatam.

ex nobis, i. e. obiectum modo intelligibili, universali per mentis operationem abstractivam in nobis existere.

Prob. 1. Per exclusionem: A) Obiectum idearum eo modo, quo in mente existit: a) *non in obiecto ipso materiali* invenitur, quia hoc in rerum natura existit modo materiali, concreto, individuali; in mente autem existit modo immateriali, abstracto, universali; b) *neque in sensatione*; nam in sensatione existit modo sensibili, extenso, concreto, individuali, et quoad externam apparentiam; idea autem essentiam rei exprimit, idque modo intelligibili, universali, sub ratione substantiae, causae, vitae, finis etc. *Atqui* probavimus contra idealistas, intellectum nostrum obiectum suum non ex se ipso producere, neque immediate in rerum natura attingere posse, quum obiectum materiale, physicum qua tale non sit obiectum proportionatum facultati immateriali, sed ex sensatione haurire. *Ergo* admittenda est vis abstractiva, qua mens praescindat a modo sensibili, concreto, a rerum apparentia externa, et apprehendat earum essentiam modo universali.

B) Si vis illa abstractiva mentis non admitteretur, idearum nostrarum origo explicanda esset aut ex causa *mere extrinseca*: sive ex sensibus, sive ex institutione humana, sive ex intuitione divina; aut ex causa *mere intrinseca*: sive ex ideis innatis, sive ex propria activitate. *Atqui* vidimus, his modis ortum idearum explicandum non esse. *Ergo* admittenda est vis mentis abstractiva.

2. *Ex natura humana*: Natura nostra in se una est composita ex anima rationali et corpore, ac proinde est simul rationalis et sensitiva, ita ut anima sit forma corporis, corpus autem materia ab anima informanda. *Atqui* operatio sequitur esse, ita ut operatio hominis praecipua et characteristicum tum in origine tum in natura sua debeat imitari eius naturam, quae est principium operationis. *Ergo* cognitio intellectualis, ut respondeat principio suo, in origine sua et natura supponit materiam cognitionis in sensatione, cui formam intelligibilem tribuit.

3. *Ex factis*: Vis mentis abstractiva est admittenda, si ipsa sola explicat facta psychologica, i. e. experientiae concordat, et quidquid aliae sententiae veri continent, in se complectitur. *Atqui* a) sola haec sententia explicat facta psychologica experientiae: 1^o primas nostras, proprias et positivas ideas esse rerum sensibilibus; 2^o deficiente sensu etiam ideas rerum ad illum spectantium deesse; 3^o res mere spirituales a nobis non cognosci, nisi per relationem ad sensibilia 1); 4^o phantasmata quaedam, saltem verborum, semper cum ideis adesse, easque quodammodo adumbrare, vel earum esse quasi materiam.

1) Quod argumentum potissimum S. Thomas affert: c. gent. II, 77 in fine.

b) Haec sententia cum sensistis repetit originem idearum ex sensatione; cum traditionalistis affirmat et explicat necessitatem verborum, quae non immerito quasi corpus visibile ideae invisibilis vocantur; cum ontologistis affirmat universalitatem et necessitatem idearum, quae rerum essentias exhibent immutabiles. Porro cum defensoribus idearum innatarum affirmat, fieri cognitionem per causam nobis intrinsecam, i. e. per species nobis impressas et expressas; cum idealistis sentit *saltem formam* idearum, si obiective spectantur, esse ex propria nostra activitate. Reicit autem omnia, quae in aliis sententiis sunt erronea factisque repugnant. *Ergo* sola haec sententia, quae statuit vim mentis abstrahendi, ad originem idearum explicandam est apta.

Obi. 1. Si esset vis abstractiva, non possemus cognoscere res singulares neque corporales; dist.: immediate per intuitionem — conc.; per conversionem ad sensationem — nego.

2. *Atqui* neque per conversionem ad sensationem; nam tunc intellectus deberet sensationem qua talem percipere; dist.: si esset abstractio reflexiva — conc.; cum sit directa, subd.: sit fieret modo positivo — conc.; quum fiat modo negativo — nego.

3. *Atqui* deberet esse positiva, ut possit intellectus praecise a notis individuantibus abstrahere; dist.: si haec non esset *natura* intellectus nostri, apprehendere rerum essentiam sub phaenomenis sensibilibus — trans.; cum haec sit natura mentis nostrae, sicut *ex experientia et testimonio* conscientiae a posteriori certo constat — nego.

4. *Atqui* ut mens ex se indifferens rei essentiam perciperet, sensatio deberet eam determinare, quod impossibile videtur; dist.: sensatio non potest intellectum determinare ut causa efficiens — conc.; ut causa materialis; subd.: nisi esset in eadem anima — conc.; cum sit in eadem anima, iterum dist.: si intellectus esset potentia mere passiva — conc.; cum sit potentia activa — nego. 1)

5. *Atqui* intellectus non potest rerum essentiam in sensationibus apprehendere, quia in ipsis non inest; dist.: rerum essentia non inest in sensatione *per se* — conc.; neque per accidens — nego.

Nam sensatio est effectus rei sensus afficientis et determinantis, neque res alio modo sensus determinare potest atque ipsa est, neque potest esse apparentia sine re apparente; res autem agens in sensus et apparens eius naturam suam revelat, quam sensus *concrete* in et cum sensibilibus referunt.

6. *Atqui* non habemus conscientiam illius abstractionis, quae tamen deberet adesse, cum sit actus cognitionis; dist.: *formaliter* est actus cognitionis — nego; *causaliter* — conc. Conscientia igitur refert, ideas nostras esse universales et gigni ex sensationibus; ex duobus his factis vis abstractiva mentis certo *concluditur*; neque potest eius operatio esse obiectum conscientiae, quia *praecedat* primos actus cognitionis; conscientia autem supponit actus mentis perfectos.

1) Cfr. S. Thom. c. gent. lib. II, c. 60.

7. Atqui tunc nunquam certi esse possemus, intellectum nostrum recte abstrahere; dist.: nisi a priori constaret de *veracitate* facultatis cognoscendi, quando modo *naturali* operatur, et nisi haec veracitas in omni actu cognitionis simul et certo apprehenderetur (cfr. thes. XII, p. 138 sq.) — trans.; alias — nego. Unde difficultas haec si valeret, scepticismus universalis induceretur.

§ 3. De modo abstractionis, sive de relatione inter sensationem et vim abstractivam intellectus.

1. Quaeritur, quomodo sensatio sive phantasma concurrat cum intellectus vi abstractiva (cum intellectu agente scholasticorum) ad ideas formandas. Certe non sufficit, cum Locke et multis modernis dicere, intellectum sensationes inter se comparare et imaginem communem ex eis efficere; nam idea essentialiter differt ab imagine communi in se materiali et sensitiva. Multo minus sufficit, cum Condillac affirmare, sensationes propria vi se transformare in ideas, iudicia etc., intellectu mere passive se habente, vel cum Herbartianis statuere, sensationes sive mutua repulsione dissimilium sive attractione similium (Bencke) se transformare; est enim theoria mere sensualistica, immo materialistica.

2. Unde Scholastici triplici potissimum modo relationem inter sensationem et mentis operationem explicare conati sunt: a) vel ita ut phantasma solum determinaret animam ut est intellectiva (Durandus); b) vel sit quasi instrumentum intellectus agentis in specie intelligibili formanda (Liberatore); c) vel ita ut phantasma intellectus agentis illuminatione quasi ad statum spiritualem evehi docerent (Caietanus); d) vel ita ut phantasma tanquam materiam, circa quam intellectus versaretur, considerarent (Suarez), quae sententia aliis praeferenda et doctrinae S. Thomae magis conformis esse videtur.

Thesis VIII: Sensatio se habet respectu intellectus in idea primitiva formanda tanquam „materia circa quam“ simulque tanquam exemplar materiale.

St. qu. 1^o Triplex materia distinguitur: materia ex qua (proxima), quae recipiens formam cum ipsa novum ens specie diversum constituit, e. g. statua; *materia in qua*, quae recipit actionem causae in se, non autem ex toto restat in effectu producto, e. g. lignum igne in cinerem conversum; utraque illa materia vocatur etiam *proxima. Materia circa quam illa est*, quae in se non mutatur per actionem causae, neque est pars effectus producti; vocatur etiam *remota*. Hoc igitur modo affirmamus sensationem cum intellectu in ideis formandis concurrere. Non tamen ita concurrat, ut intellectus agens physice agat in materiam phantasmatis, quod impossibile est.

2^o *Exemplar* est species aliqua causae, et vocatur id secundum quod aliquid fit, ut patet in actione artificum. Exemplar *formale* est

illud, quod artifex in mente sua gerit, et quod actione sua imitatur; *materiale* vero illud vocatur, quod rationes et elementa praebet ad exemplar formale constituendum, sicut artifex obiecta in natura rerum existentia considerans, ex eorum pulchritudine ideam aliquam exemplarem sibi efformat. Hoc igitur modo phantasma exemplar materiale vocamus. Sed addendum est, in eo esse differentiam inter artificem et intellectum speciem intelligibilem abstrahentem, quod artifex exemplar suum materiale directe percipit, intellectus vero in abstractione naturali phantasma qua tale non apprehendit, sed directe in essentiam rei sub phaenomenis sensibilibus latentem fertur eamque „intus legit“. Iure enim monet S. Thomas¹⁾: „Licet sit similitudo quaedam intellectus agentis ad artem, non oportet huiusmodi similitudinem ad omnia extendi.“

Prob. per exclusionem: Constat, sensationem sive phantasma habere aliquem influxum; nam requiritur sensatio, ut intellectus determinetur et ad hoc vel illud prae aliis intelligendum excitetur, ac proinde sensatio non est mera conditio sive occasio intelligendi, ut Plato, Cartesius, Leibnitz eorumque sequaces arbitrantur. *Atqui* hic influxus sensationis: a) non habet rationem causae *efficientis* sive *principalis*, quia phantasma materiale non potest directe agere in principium immateriale, et species intelligibilis excedit potentiam sensitivam; *sive instrumentalis* proprie dictae, quia instrumentum effectum ipsum producit totum, licet non totaliter, e. g. calamus scribendo; phantasma autem speciem intelligibilem immaterialem nullo modo producere potest.²⁾ b) Neque habet rationem causae *finalis*; nam finis est id, quod actione producendum est; phantasma autem non est efficiendum, sed species intelligibilis. c) Neque est causa *formalis*; nam haec naturam rei constituit, phantasma autem materiale nullo modo naturam rei immaterialis constituere potest. d) Neque est causa materialis, *ex qua* aliquid fit; nam phantasma materiale in conceptum ipsum constituendum nullo modo ingreditur; existit enim et permanet extra et praeter conceptum, neque si ipsum mutatur, eo ipso etiam conceptus mutatur, ut patet in imaginibus a phantasia productiva et schematica (verba) arbitrarie formati et iisdem conceptibus suppositis. Ex iisdem rationibus phantasma non est causa materialis, *in qua* species intelligibilis producatur.

Iam vero praeter causas enumeratas aliquo modo in effectum ipsum influentes non sunt, nisi causa *materialis circa quam*, et causa *exemplaris*. Ergo phantasma influit in ideis formandis:

¹⁾ Quaest. unica de anima art. 5 ad 8.

²⁾ S. Theol. I, qu. 85, a. 1, ad tertium: Phantasmata . . . non possunt virtute sua imprimere in intellectum possibilem.

I. Ut *causa materialis, circa quam* intellectus agens versans speciem intelligibilem producit. Qua in re veteres triplicem actionem virtualiter solum diversam distinguunt: a) *Excitatur* intellectus ad abstrahendum eo ipso, quod phantasma praesens est in anima sensitiva, quae simul est intellectiva. Facultates enim sensitivae ordinatae sunt ad intellectum perficiendum eique materiam necessariam praestandam. Quae quidem intellectus excitatio vocatur a scholasticis „conversio ad phantasmata“. b) Deinde intellectus agens lumine sibi proprio illuminat phantasma, ut rei essentia appareat, quae actio vocatur a veteribus „illuminatio phantasmatis“. c) Denique intellectus agens abstrahit speciem intelligibilem et intellectui possibili (i. e. sibi ipsi in quantum est intellectus simul abstrahens et cognoscens) imprimit, quae actio proprie vocatur „abstractio“.

Patet, triplicem hanc actionem, quam veteres distinguunt, esse potius triplicem relationem *eiusdem* actionis ad eundem effectum producendum, neque scholasticorum expressiones nimis premendas esse, quia in hac re difficili tropicis saepe utuntur verbis. Si igitur S. Thomas nonnunquam dicit, phantasma *movere, excitare* intellectum (non agentem, sed possibilem¹⁾, et esse instrumentum intellectus agentis, hoc non intelligendum est sensu stricto, sed phantasma considerandum est ut per operationem intellectus agentis iam *immutatum* et *quasi* instrumentum intellectus. Doctor enim angelicus phantasmata vocat expresse „*quasi* agentia instrumentalia“²⁾, eaque „*quodammodo* agere“ dicit; ubi vero ex professo de hac re agit, hanc relationem inter phantasma et intellectum ita definit: „Intellectiva cognitio fit a sensibili, non sicut a perfecta et totali causa, sed potius sicut a *materia* causae.“³⁾

II. Phantasma sive sensatio influit sicut *causa exemplaris*, 1^o non quidem *formalis*; nam a) intellectus agens non est formaliter cognoscens, ac proinde ad speciem intelligibilem efficiendam non considerat sensationem, sicut pictor exemplar in mente sua, secundum quod imaginem depingit; b) conceptus ex sensatione formatus in mente non repraesentat sensationem ut talem, sed essentiam rei in ea latentem, eamque modo abstracto, universali, quae omnibus eiusdem speciei rebus convenire potest, et aliquo modo immutabilis est, necessaria et aeterna. Conceptus igitur multo perfectius repraesentat rem quam sensatio, ac proinde sensatio non potest vocari eius exemplar formale.

2^o Est tamen *exemplar materiale*: a) *exemplar*, quia intellectus agens speciem intelligibilem efformat, non quamcunque, sed rei per sensationem hic et nunc praesentatae congruentem, ac proinde phantasma aliquo modo imitatur; b) est exemplar *materiale*, quia phantasma rem modo materiali et secundum apparentiam eius externam exhibet; intellectus autem, abstrahens a modo illo imperfecto, quo res in sensatione existit, eam modo immateriali et secundum eius essentiam exprimit per speciem intelligibilem. Merito igitur S. Thomas, Aristotele duce, intellectum agentem cum artifice comparat,

¹⁾ Cfr. c. gent. II, 59, arg. 5. ²⁾ Quodl. 8, a. 3. S. Theol. I, qu. 84, a. 6. „Phantasmata non sufficiunt immutare intellectum possibilem, sed oportet, quod fiant intelligibilia actu per intellectum agentem.“ ³⁾ S. Theol. I, 84, art. 6: Conclusio.

qui speciem intelligibilem secundum sensationem formatam intellectui possibili imprimit.¹⁾

Liber secundus: Natura idearum sive de universalibus.

1. *Notio*. Ostendimus, quomodo ideae oriuntur, earumque valorem obiectivum defendimus. Quaeritur nunc, *quomodo* habeant valorem obiectivum. Ratio dubitandi in eo est, quod ideae nostrae sunt universales et abstractae; res autem in se omnes sunt singulares et concretae. Inquirendum igitur est, quid conceptibus nostris universalibus a parte rei respondeat, sive *num* universale illud, quod exprimit, in rerum natura inveniatur, et *quomodo* in rebus inveniatur. Haec quaestio, quae ab „introductione“ Porphyrii ortum duxit, in philosophia est celeberrima, quamvis nonnulli auctores in hoc errent, quod essentiam philosophiae scholasticae in hac quaestione posuerint.²⁾

2. *Divisio*: Triplex per se sententia excogitari potest: a) universale *nullo modo* in rebus inesse, sed in solis verbis vel conceptibus mentis (universale *post rem*); et hoc sentiebant, qui *Nominalistae* sive *Conceptualistae* vocantur, valorem conceptuum nimis deprimentes; b) universale *formaliter* a parte rei existere (universale *ante et post rem*); et hoc statuebant, qui *Formalistae* sive *Realistae exaggerati* nominantur, valorem conceptuum nimium exaggerantes; c) universale est quidem in rebus *realiter*, sed non *formaliter* (universale in re); et haec sententia intermedia inter priores est Aristotelis et scholasticorum, quam solam veram esse infra ostendemus. Errat igitur E. v. Hartmann, si scholasticos universale ante rem esse dixisse affirmat (Drews, p. 804).

Caput I: De Nominalismo et Conceptualismo.

Expositio: Fuerunt iam antiquitus³⁾, qui conceptibus nostris universalibus a parte rei nihil respondere docerent; sic Heraclitus (V. saec. a. Chr.) et Cratylus, quia nihil in rerum natura stabile ac necessarium habebant; porro Epicuræi cum Democrito, qui rerum singularitatem exaggerabant, nil

¹⁾ C. gent. II, 77; S. Theol. I, qu. 85 a. 1, ad 4.

²⁾ Cfr. Stöckl, Gesch. d. Philosophie, 1888, I, §§ 137, 170—173. Willmann, Geschichte des Idealismus, II, § 69 et 70; § 79—85. De Wulf, Histoire de la philosophie médiévale, 1905, p. 161, 442 sq. Windelband, Lehrb. d. Geschichte d. Philos., 1903³⁾, p. 236 sq.

³⁾ Cfr. S. Thomam apud Cosm. Alamannum, I, qu. 28, art. 1; opusc. 55 et 56 „de universalibus“.